











PARTITIONVM  
Theologicarum

DISPUTATIO XXXII,

De

POENITEN-  
TIA.

In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Wit-  
tebergensi proposita,

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI

Professore publico:

*Respondente*

M. CHRISTOPHORO SENFIO

Hannoverano.

*Horis locorq; consuetis.*

Sumtibus Clementis Bergeri  
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.







Reverendo, Clarissimo &

Doctissimo Viro

*Dn. M. DAVIDI MEIERO,*

*Ecclesie Hannoveranae ad D. Gregorium*

*Pastori vigilantissimo*

Domino, Patrono ac Promotori suo, omni  
reverentiae & observantiae honore aeternum  
colendo

*Dedicat*


*&*

*Offert*

*M. Christophorus Senfius*  
*Hannoveranus.*



# TYPVS HVIVS DISPVTIONIS.







## DISPUTATIO XXXII.

De

PŒNITENTIA.

CONTINUATIO.



*E* Ecclesia natura, ejusq; variis  
requisitis hæctenus: Consequens  
nunc est, ut ejusdem videamus ex-  
ercitia.

Thesis I.

**E**Xercitia Ecclesiæ sunt vel activa vel passiva.

2. Activa sunt, tum pœnitentia & ejus fructus; tum ad-  
oratio.

3. Ad pœnitentiam igitur, ut primo loco accedamus, lon-  
gè verissimum est illud Gregorij, quando inquit: *Per culpam  
discordes sumus DEO. Postquam enim dimisimus eum, ipse dimisit nos  
nobis. Redimus aut. m ad eum per pœnitentiam; qua, Chrysostomo  
sic loquente, ref. rat, quod claudit peccatum.*

4. De hæc igitur acturi, videbimus primum vim vocis, de-  
inde ad rem ipsam progrediemur.

Vocis pœni-  
tentia po-  
restas.

5. Vocem quod attinet, ut pœnitentia & resistencia in La-  
tina Ecclesia sumuntur ut synonyma: ita etiam in Græca με-  
ταμέλεια & μετάνοια: Hebræi dicunt *נָשׁוּבָה* quod est regres-  
sus, reditus, vel conversio, nempe ad DEUM: Damascenus  
lib. 2. de orthodoxa fide cap. 30. addit: *μετάνοιά ὅτι ἐκ τῆς ἀποβολῆς  
πρὸς*



*ἄγος τὸν θεὸν ἐπένοθε* : *Pœnitentia est aversio ex diabolo ad DEVM.*  
Atq; ita accipitur pro pœnitentia propriè sic dicta, hoc est, salu-  
lutari.

6. Alias tenendum est, quod *pœnitentia* alia sit *vera & salu-*  
*tari*: alia *hypocritica & mortifera*. Quæ tamen divisio non tam  
generis in suas species est, quàm vocabuli æquivoci in sua æqui-  
vocata, uti loquuntur.

7. Habet nihilominus illam ipse Apostolus. 2. Cor. 7. v. 10.  
Nam qui secundum *DEVM* est dolor, is pœnitentiam ad salutem haud  
pœnitendam parit. Contra mundi dolor mortem affert.

8. Sic de hypocritica pœnitentia videtur loqui scriptura *Pœnitentia*  
1. Joh. 4. v. 18. *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas eicit ti-* *hypocritica.*  
*morem, quoniam timor cruciatum habet.*

9. Item hypocritica ac mortifera pœnitentiæ exempla  
sunt in Juda Ischariothe, de quo *Act. 1. v. 18.* in Anania & Sap-  
phira *Act. 5. v. 3.* in Agrippa rege, qui ad Paulum dicit, *modica*  
*ex parte persuad. s. mihi, ut fiam Christianus,* sed tamen nihil ampli-  
us fecit, *Act. 26. v. 28.* in Felice, qui postquam cum uxore sua  
Paulum de Evangelio, justitiâ, temperantiâ, iudicio futuro  
differentem audisset, tremefactus respondit: *In presentia abi,*  
*ceterum opportunitatem nactus, accersam te,* *Act. 24. v. 25.*

10. Unde liquet, pœnitentiam hypocriticam & mortife-  
tam illam esse, quæ peccatum non cognoscit, aut agnitum  
nihil curat, sed securè contemnit: nec fide in Christum re-  
missionem peccatorum sibi applicat, sed desperat, nec dignos  
pœnitentiæ fructus facit.

11. Eodem modo de *vera pœnitentia* seorsim loquitur scri- *Pœnitentia*  
ptura. 1. Joh. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iu-* *vera.*  
*stus, ut remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquita-*  
*te.* Et 1. Iohan. 3. v. 19. 20. *In conspectu eius suadebimus cordibus*  
*nostris. Quoniam si condemnet nos cor nostrum, maior est DEVS corde*  
*nostro, & novit omnia.*

12. Item veræ ac salutaris pœnitentiæ exempla habemus  
in Judæis, qui convertuntur in die pentecostes, *Act. 2. v. 37.* In  
Samaritanis, qui recipiunt sermonem *DE I,* *Act. 8. v. 12.* In  
Eunucho *Ibidem v. 37.* In Paulo *Act. 9. v. 22. & seqq.* In Corne-  
lio



lio Act. 10. v. 33. In custode carceris Act. 16. v. 30. In corinthio incestuoso 2. Cor. 2. v. 8. & seqq. In alijs corinthiis 2. Cor. 7. v. 9.

13. Salutaris igitur pœnitentia illa est, quæ agnoscit peccata sua juxta verbum DEI, seq; coram DEO humiliat, & tremefacta petit à DEO remissionem peccatorum propter Christum mediatorem.

*Pœnitentia salutaris duobus accipitur modis. Latior usus.*

14. Porro vocis pœnitentiæ pro salutaris sumptæ usus duplex est in scriptura: *Latior & strictior.*

15. *Latior usus* est, quando generaliter pro tota hominis conversione ad Deum accipitur ut Luc. 15. v. 10. *Gaudium est angelis in cœlo super uno peccatore agente pœnitentiam.* Matth. 3. v. 2. *Agite pœnitentiam, appropinquat enim regnum cœlorum.* Matth. 9. v. 13. *Non veni ad vocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Luc. 13. v. 3. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq;.* Act. 11. v. 18. *Igitur & gentibus DEVS pœnitentiam concessit ad vitam.* Act. 26. v. 20. *Deinde & gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent & converterentur ad DEVM.* Rom. 2. v. 4. *Bonitas DEI invitatur ad pœnitentiam.* Apoc. 2. v. 5. *Memor esto itaq; unde excideris & age pœnitentiam.* &c.

*Strictior usus.*

16. *Strictior usus* est, quando pro sola contritione altera pœnitentiæ parte sumitur, atq; tum, plerumq; ei additur mentio fidei, vel remissionis peccatorum ut Mar. 1. v. 15. *Agite pœnitentiam & credite Evangelio.* Luc. 24. v. 47. *Mittuntur discipuli, ut prædicent in nomine Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum.* Act. 5. v. 31. *Hunc principem & servatorem DEVS exaltavit dextra sua, ad dandam pœnitentiam Israël, remissionemq; peccatorum.* Act. 20. v. 21. *Testificans Iudæis & Græcis, eam quæ erga DEVM est pœnitentiam ac fidem,* &c.

17. Nos in præsentiarum ad priorem significationem & usum respicimus, & ad rem ipsam; cujus *ἁγιωγραφία* erit partim definitiva, partim divisiva.

18. Definitiva contemplatio consistit in proponenda definitione, & ejusdem resolutione.

*pœnitentia quid.*

19. Definitio facillè colligitur ex descriptione jam thesi propos





proposita, nempe Pœnitentia est salutaris conversio hominis, qua ejus cor à spiritu sancto per verbum flectitur & immutatur, ut non tantum propter peccata ex lege agnita serio dolat, sed etiam fiducia misericordiae divinae in Evangelio patefactae rursus erigatur, & in posterum fructus Christiano dignos edat.

20. Quae definitio, quia causalis est, in causas rectè resolvitur, quas omnes complectitur:

21. Causae sunt internae & externae. Internae Forma & Materia. Formalis ratio conversionis hinc duplex datur, generica & specifica.

22. Genericam exprimit ipsum genus, quando dicitur, quod pœnitentia sit *conversio ad DEUM*. Quod autem pœnitentia hæc non sit sine conversione, imò quod sit ipsa conversio, id confirmat nobile testimonium Jerem. 31. v. 19. *Postquam conversus fui, egi pœnitentiam*. Et Angelus Luc. 1. v. 16. expressè testatur de Johanne Baptista ad pœnitentiam vocaturo homines, & inquit; *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum DEUM ipsorum*. Item, Act. 3. v. 19. Petrus inquit: *μετανοήσατε καὶ ἐπιστρέψατε, pœnitentiam agite & convertimini*. Et Act. 15. v. 3. expressè *ἐπιστροφή conversio gentium* appellatur.

Formalis  
ratio pœnitentiae  
generica.

23. Atqui genus hoc sive conversio non tantum parti, nempe fidei, sed toti, ideoq; & contritioni inest. Id enim non solum proprietas generalis conversionis voce Evangelica Luc. 1. testatur, verum etiam Pauli dictum Act. 20. explicitè demonstrat, distinguens partes pœnitentiae, & de singulis affirmans pœnitentem ad DEUM converti. Nam licet contritio ex lege sit: in hac tamen actione lex terrendo non abducit à Christo: sed tanquam fidelis pœdagogus cogit ad Christum.

24. *Formalis ratio specifica* exprimit modum, quo conversio illa fiat, nempe *flexione & immutatione cordis*, qua non tantum propter peccata ex lege agnita serio dolet, sed etiam per fiduciam misericordiae divinae in Evangelio patefactae rursus erigitur. Qui duplex modus, duas deinde partes dabit pœnitentiae.

Formalis  
ratio specifica.

25. Causa



*Causa materialis.*

25. *Causa materialis* est homo convertendus, unde dicitur quod *penitentia sit conversio hominis.*

26. Ne autem hic in errorem incidamus, duplex hominis pœnitentis status est observandus: 1. ante conversionem, 2. post conversionem.

27. Priorem quod attinet, in quo homo conversus nondum est, verum jam convertendus, & jam in actu conversionis existit: ibi homo, ejusq; voluntas ne tantillum quidem cooperantur, sed tantum materialiter & passivè, sive ut subiectum patiens, sese habet 1. Cor. 2. v. 14. Rom. 8. v. 7. in quod Spiritus sanctus agit, ut planè regeneretur, & verbo per fidem assentiatur.

28. Pertinent huc dicta Ezech. 36. v. 26. *Dabo vobis cor novum & spiritum novum, ponam in medio vestri: auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis,* Psal. 51. v. 11. *Cor mundum in me crea DEVS, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne proicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*

29. Posteriolem verò quod spectat, ibi voluntati humanæ omnem libertatem & facultatem ademptam esse, negamus. Nam postquam homo à spiritu sancto est regeneratus, tum lege DEI secundum interiorem hominem delectatur. Rom. 7. v. 22. & adversus peccata pugnare incipit Gal. 5. v. 17. licet adhuc multum imbecillitatis sibi adherere animadvertat. In ejusmodi igitur pœnitentiæ continuatione, de qua loquitur scriptura: *qui conversus est, convertetur adhuc:* etiam suo modo hominis voluntas à Spiritu Sancto tacta & mota efficax est.

*Causa efficiens principalis.*

30. Externæ causæ sunt efficiens & Finis. Efficiens est vel principalis vel instrumentalis.

31. *Causa efficiens principalis* & quidem totalis est spiritus sanctus, de quo 2. Cor. 3. v. 18. dicitur: *Transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domino, spiritu.* Et Jeremias c. 31. v. 18. precatur in hunc modum: *Domine converte me & convertar: quia tu Dominus DEVS meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam. Quam invocationem Prophetæ ad Spiritum sanctum institutam esse, intelligitur ex Epistola ad Hebræos c. 10. v. 15.*

32. In



32. Interim tamen Patrem & Filium nequaquam excludimus; quandoquidem alibi sacræ literæ DEO in genere, sive toti Trinitati pœnitentiam assignant, *Act. 5. v. 31. 2. Tim. 2. v. 25.*

33. *Causa instrumentalis* est verbum DEI: hoc est verbum auditum & usus sacramentorum, per quæ Spiritus sanctus efficax est & operatur, uti testatur *Apostolus 2. Cor. 3. v. 8.* nempe ministerium Evangelij esse *διακονίαν πνεύματος*, id est, *ministerium spiritus*. Et *Tit. 3. v. 5.* de baptismo idem *Apostolus* docet, *Deum nos salvos facere per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*. Similia leguntur de cœna Domini *1. Cor. 10. v. 13. 1. Ioh. 5. v. 8.*

*Causa instrumentalis.*

34. *Finis pœnitentiæ* est remissio peccatorum, reconciliatio, justificatio & vivificatio; qui verò in nostra definitione non exprimitur, sed specificâ ratione & modo involvitur, ac loco ejus fructus pœnitentiæ substituitur, qui est *Nova obedientia*: & tam necessariò cum vera & salutari pœnitentiâ cohæret, ut, si non sequatur, pœnitentiâ; quæ præcessit, non fuerit vera pœnitentiâ. Rectè enim *Isidorus*, allegante *Bernhardo* in lib. de modo vivendi serm. 23. f. 1306. *Inanis est pœnitentiâ, quam sequens coinquinat culpa*. Vel ut ipse *Bernhardus* de suo addit fol. 1304. *Qui plingit peccatum, & iterum facit peccatum, quasi si quis lavet laterem crudum qui quanto amplius laverit, tam amplius faciet lutum*. Et *Chrysostr.* homil. 33. in *Johan.* inquit: *Ἐὰν μετάνοια ἔμνηστί τὰ αὐτὰ ποιεῖν: ὃ γὰρ τίς αὐτίς ἐπιχειρῶν, εἴποιε τὰ κωὶ τῷ πρὸς τὸν ἰδίον ἐμετόν ἐπανιόντι*. Ea demum est pœnitentiâ, si non amplius peccamus, aut eadem faciamus. Nam qui ad peccata revertitur, sicut is est canis, ad suam ipsius vomitum rediunt. *Prov. 26. v. 11. 2. Pet. 2. v. 22.*

*Finis pœnitentiæ.*

35. Tandem totius nostræ definitionis fundamentum est in verbis Pauli, quæ extant *Act. 26. v. 20.* ubi ad *Agrippam* inquit: *Annunciabam, ut pœnitentiâ agerent & converterentur ad Dominum, opera facientes digna pœnitentiâ*.

36. Cæterum divisivè consideratur pœnitentiâ, quatenus non in species, sed in partes dispescitur: Partes pœnitentiæ sunt veræ & falsæ.

B

37. Ve-





**Veræ pœni-  
tentie par-  
tes.**

**Nova obe-  
dientia nõ  
est pars  
pœniteno-  
tia.**

**Contritio.**

**Contritio  
quid.**

37. Veræ partes sunt *contritio & Fides*; quarum illa ex legis concione, hæc ex Evangelij doctrina oritur, conjungiturq; ab ipso Christo *Mat. 1. v. 18.* Et Apostolo Paulo *Act. 20. v. 21.* testificante pœnitentiam & remissionem peccatorum.

38. Meritò igitur ex veris pœnitentiæ partibus rejicimus studium bonorum operum sive *novam obedientiam*: quandoquidem illa, uti modo diximus: non pars est pœnitentiæ, sed fructus necessarius & consequens, essentiam illius minime ingreditur, quemadmodum id difertè ostendit Johannes Baptista *Matth. & Luc. 3. v. 8.* *facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et rectè in hanc sententiam August. *opera, inquit, sequuntur iustificatum, non præcedunt iustificandum;* lib. de fide & operib. c. 13.

39. Prima igitur pars pœnitentiæ est *contritio*, ita dicta per metaphoram, sumtam vel à vase testaceo, in minutissima frustra confracto: Vel ab ossibus, subitaneo lapsu fractis, aut bestiarum dentibus comminutis.

40. Illa fundatur in sequentibus dictis *Psal. 31. v. 13.* *fractus sum, tanquam vas confractum aut perditum.* *Esa. 30. v. 14.* *Et conteret eum contritione lagenæ sigulorum, conterendo non parces, nec invenietur de fragmento eius testa ulla ad capiendum ignem de incendio, aut adhauriendam aquam de fovea.* *Ierem. 19. v. 11.* *Sic conteram populum istum & civitatem istam, sicut conterit quæpiam vas figuli, quod non potest instaurari ultra.*

41. Hæc fundamentum habet in illis locis ubi Jehova bestiarum sevitiæ se imitaturum minatur. ut *Ose. 5. v. 14.* *Ero tanquam leo ipsi Ephraim, & velut catulus leonis, domui Iehudah: Ego egorapiam & abibo, tollam prædam, & non erit, qui eruat.* Et *Ezechias* quæritur apud *Esaïam 38. v. 13.* *velut leo, sic contrivit omnia ossa mea.* Item *David Psal. 38. v. 4.* *Non est sanitas (vel integritas) in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum, &c.*

42. Est autem *contritio* verus terror conscientie, quæ sentit & agnoscit Deum irasci peccatis, & se propter hæc subijci iræ divine & æternæ damnationi, proptereaq; dolet, se peccasse *Apolog. August. Confess. artic. 12. de pœnitentia p. 165.*



43. *Genus est terror verus conscientie.* Ubi notandum Epithe- *Genus*  
thon (*verus*) quo distinguitur ab impiorum & hypocritarum  
terrore sive pœnitentia. Quandoquidem & hi contritionem  
& pœnitentiam, aliquantisper simulare possunt 1. Reg. 21.  
v. 27. non quidem quod mala & peccata tantopere averfen-  
tur, sed quod vel boni alicujus corporalis jacturam faci-  
ant, quam æquo animo ferre non didicerunt Heb. 12. v. 17.  
vel pœnam imminentem intus paveant ac formident fo-  
ris, cujus periculo sublato è vestigio ad ingenium re-  
deunt, Exo. 8. v. 15. & c. 9. v. 34. Quos graphice depin-  
git August. lib. de vera & falsa pœnitentia c. 9. tom. 4. p.  
1043. *Sunt, quos peccasse pœnitet propter presentia supplia. Dispi-  
cent enim latroni peccata, quando agitur de pœna. Desinit vin-  
dicta; revertitur ad crimina.* Et de his ipsis agit Syrac. 1. v. 36.  
*Vide, ne timor, aut religio tua erga DEVM sit hypocrisis, & ne ser-  
vius ei cordi simulato. Expende, quid loquaris, credas aut agas, ne  
ruas & pudeas repente, & Dominus pat. faciat, fraudesq; tuas aperi-  
at, & palam coram hominibus, te evertat, eò quod non vero timo-  
re DEVM colueris, & cor tuum dolosum fuerit coram ipso.* At-  
que hic terror est pars pœnitentiæ, vel ipsa pœnitentia  
hypocritica & mortifera, de qua egimus supra thesi 8. &  
seqq.

44. Non igitur talis terror, sed verus & serius, cum  
vero & sensu dolore & odio adversus peccata conjunctus est  
in vera & salutari contritione. Quemadmodum enim Mo-  
ses in prima legis repetitione ac promulgatione, erat  
exterritus & tremebundus Hebr. 12. vers. 21. Ita quoque  
etiamnum hodie omnes pij ac fideles gravissimâ iræ di-  
vinæ & æternarum pœnarum comminatione auditâ, ve-  
ro & anxio timore percelluntur (Esa. 66. vers. 2.) & ex-  
horrescunt, adeò ut totum ipsis corpus ac intima ossa &  
viscera tremant. Hinc David Psal. 6. vers. 3. *Sana me,  
Domine quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea tur-  
bata est valle.* Item, Psal. 38. vers. 5. *Iniquitates meae su-  
pergressæ sunt caput meum: sicut onus grave, gravata sunt*  
super



super me. Et Hiskias Esa. 38. v. 13. Sicut leo contrivit omnia ossa mea.

Differen-  
tie ab ef-  
fectis.

1.

45. Differentiæ sumuntur ab effectis, quæ sunt 1. agnoscere sua peccata, eaq; non extenuare, nec defendere 1. Ioh. 2. v. 4. Gal. 2. v. 14. Petrus à Paulo objurgatus, quod non recto pede ad veritatem Evangelij incesserit, suum factum non defendit, neq; Paulo arguenti irascitur. Idem faciunt Corinthij 2. Cor. 7. v. 7. Incestuosus Corinthius 2. Cor. 2. Et David Psal. 51. v. 3. sua agnoscit peccata & inquit: Iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum coram me est semper. Tibi soli peccavi & malum coram te feci.

2.

46. Deinde cognoscere iram DEI adversus peccata, de cujus immensa mole notandum est dictum Esa. 30. v. 27. Ecce nomen Domini venet de longinquo, ardens furor eius & gravis ad portandum. Et oratio Manassis v. 1. Domine omnipotens, quem omnia pavent & tremunt in vultu virtutis tue, & insustentabilis ira comminationis tue super peccatores.

3.

47. Tertio: Peccatorum pœnas metuere & propterea revera dolere. Jerem. 31. v. 19. Postquam ostendisti mihi, percussus femur meum, id est parturientium more consternatus sum. Rom. 7. v. 9. veniente mandato, peccatum revixit: Ego vero mortuus sum. Item v. 13. ut appareret peccatum per id, quod erat bonum, mihi gigneret mortem, ut fierem maiorem in modum peccans, peccatum per præceptum. Item v. 24. exclamat: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Et 2. Cor. 2. v. 7. Ne quo modo fiat, ut immenso dolore absorbeatur huiusmodi.

4.

48. Quarto. Terrores sustinere 2. Cor. 7. v. 5. Nullam habuit relaxationem caro nostra, sed in omnibus sumus oppressi: Foris pugnae, intus terrores. 1. Ioh. 3. v. 20. Si condemnet nos cor nostrum, potentior est DEVS corde nostro & novit omnia. Act. 2. v. 37. Compuncti sunt corde, &c.

5.

49. Quinto. Confiteri sua peccata coram Domino 1. Ioh. 1. v. 9. nec ea palliare coram hominibus: Act. 19. v. 18. Multi credentes veniebant confidentes & annunciantes peccata sua. Paulus crebro repetit commemorationem peccatorum suorum, quod blasphemus fuerit & persecutor Ecclesiæ, & quod

Stepha-





Stephanum lapidantibus adstiterit, eorumq; vestes custodie-  
rit & in necem ejus consenserit Act. 22. v. 20. c. 26. v. 10. G. l. l.  
v. 13. 1. Tim. 1. v. 13.

50. Sexto: Abjicere in delictis agnitis propositum perse-  
verandi, ac damnare scelera prius perpetrata Rom. 6. v. 21.

Quem igitur fructum habebitis tunc in his, de quibus nunc crubescitis?

Eph. 4. v. 28 Qui fur abatur, non furetur amplius. Apoc. 9. v. 20.

Nec respuerunt ab operibus manuum suarum, ut non adorent demo-  
nia.

51. Septimo: Tollere, quæ ad peccandum occasionem  
præbuerunt Act. 19. v. 19. Multi autem ex his, qui curiosas artes ex-  
ercuerant, computatos libros exasserunt coram hominibus, & suppu-  
tatis pretiis illorum, reppererunt pecuniæ quinquaginta millia.

52. Octavo & ultimo: ubiq; facere fructus pœnitentiæ  
dignos Luc. 7. v. 8.

53. Cæterum si de fine contritionis quærat, is non est,  
1. ut contritionis nostræ dignitate aut sufficientia (quæ nulla  
est) peccata nostra expiemus, & salutem opere eo mereamur.  
Quandoquidem solus Christus vniuersus est propter iniquitates no-  
stras, ipsi attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super  
eum & livore eius sinati sumus Esa. 53. v. 5. 2. multo minus ut dolore  
contritionis desperemus. Nam quæ secundum DEVM est tristitia,  
pœnitentiam in salutem non pœnitendam operatur, seculi autem tristitia  
mortem operatur 2. Cor. 7. v. 10. Sed 1. ut pareamus voluntati  
DEI, qui vult nos agnoscere peccata & debita nostra Matth. 1.  
v. 4. agite pœnitentiam. Act. 2. v. 38. c. 3. v. 19. c. 26. v. 20.  
2. Pet. 3. v. 9. DEVS non vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam  
recipere. Apoc. 2. v. 5. Memento unde excideris & age pœnitentiam.  
2. ut intellecta nostrâ indignitate coram DEO nos ex animo  
humiliemus, nec fidamus nostris operibus Rom. 3. v. 10. Gal. 3.  
v. 22. Conclusi: Deus omnes sub incredulitate, ut omnium misereatur.  
Rom. 11. v. 31. ut qui gloriatur, in Domino gloriatur. 3. Ut pecca-  
torum magnitudine & gravitate cognita, Christus cum suis  
beneficiis tanto magis nobis dulcescat Matth. 11. v. 5. Pauperi-  
bus Evangelizatur. Matth. 9. v. 12. Non est opus valentibus medico,  
sed male habentibus. Ibidem v. 13. Non veni vocare iustos, sed pecca-  
tores



*boves ad pœnitentiissim.* Quandoquidem, qui propria iustitia confidunt, iustitiæ gratuita per Christum partæ, non sunt capaces, sicut historiæ Phariseorum testantur. Pertinent huc etiam, aliæ dicta Gal. 3. v. 24. *Lex pœdagogus est ad Christum.* Rom. 7. v. 24. *Miser ego homo quis me eripiet* &c. 2. Cor. 7. v. 10. *Qui secundum DEVM est dolor, &c.*

*Terroribus non meretur gratiam.*

54. Unde colligitur ejusmodi *ωόπισμα*: Falsissimam esse opinionem Pontificiorum, quæ contendunt, doloribus & terroribus illis mereri homines gratiam, si tamen diligant Deum. 1. Quomodo enim diligant Deum homines in tantis terroribus in se consideratis, quando nimirum nihil aliud, quàm horribilem & ineffabilem iram DEI sentiunt? 2. Imò tantum abest ut gratiam divinam promereantur, ut potius si soli sint ac maneant, ad desperationem homines adigant: uti exemplis Caini, Saulis & Judæ manifestum est. *G. n. 4. v. 13. 1. Sam. 31. v. 4. Matth. 27. v. 3.*

*Fides altera Pœnitentia pars.*

55. Ut igitur contritio salutaris sit, oportet, ut spiritus sanctus contritos & perterrefactos peccatores Evangelicis promissionibus rursus erigat & soletur. Quocirca sola contritione salutaris pœnitentia non absolvitur: Sed etiam altera pars, nempe fides, requiritur, juxta illud Rom. 5. v. 1. *Iustificati fide, pacem habemus apud Deum propter Christum Dominum nostrum.*

56. Hæc igitur fides consequitur remissionem peccatorum: hæc fides iustificat coram DEO *Rom. 10. v. 4. 1. Pet. 1. v. 25.* Quod verò illam non omnes ex prædicatione verbi assquantur, non in causa est DEUS, vel verbum ejus, sed ipsa malitia & durities hominum: quòd nimirum vel verbum DEI negligant, vel spiritui sancto per impœnitentiam resistunt, ejusque dona abjiciunt, & quasi pedibus conculant.

*Vera pœnitentia sine fide non datur.*

57. Ex quibus ejusmodi colligimus *ωόπισμα*: Rasam Pontificiorum cohortem, nec non Calvinum hic cum suis assclis perperam & contra universam scripturam Fidem expunxisse. Quod enim in genere sacra scriptura asserit: *Sine fide impossibile est, placere DEO* Heb. 11. v. 6. id commodè ad præsens insti-





Institurum referri posse innuit August. de vera & falsa pœnitent. tom. 4. fol. 1037. ubi in hæc verba definit: *Pœnitentia, quæ ex fide non procedit, utilis non est.* Quid, quod (uti ex jam dictis constat) ejusmodi pœnitentia sive contritio, non modo inutilis, sed etiam damnosa est? 2. Cor. 7. v. 10.

58. Verum cum sufficienter de fide hac salvifica egerimus supra disputatione 26; non est cur hic actum agamus. Atq; hæctenus de veris pœnitentiæ partibus.

59. Cæterum falsæ pœnitentiæ partes sunt, quas numerant Pontificij, nempe tres illæ: *Contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis.*

*Falsæ partes pœnitentiæ.*

60. Ubi in genere notandum, quod Pontificij duplici peccant modo, in excessu & defectu. In excessu, dum plures pœnitentiæ partes numerant, atq; in horum singulis non modo perfectionem requirunt; verum etiam jis alicujus meriti opinionem affingunt.

61. In defectu, quando nullam faciunt mentionem fidei, quam tamen potissimum DEUS atq; unice spectat, ut Jeremias loquitur c. 5. v. 3. *Domino oculi tui respiciunt fidem.* Imò si fidem addere vellent, non possunt, dum operibus adscribunt id, quod est gratiæ: Fides autem mera gratia nititur, itaq; nullis operibus pœnitentis.

62. *Contritio*, quam hic fingunt Pontificij, nihil est aliud quam speculum hypocriticæ pœnitentiæ, qualis etiam in hominibus sceleratissimis potest excitari, ut Pharaonis Exo. 10. v. 16. Antiochi 2. Maccub. 9. v. 11. Et cum primis Judæ Matth. 27. v. 3. exempla docent. Rationes sunt: 1. Quia ipsis est sine fide. Jam vero in eo potissimum Judæ & Saulis contritio à Davidis & Petri differt, quod ad illorum non accedat fides apprehendens remissionem peccatorum donatam propter Christum: ideoq; nihil profit: ad harum verò fides accedat ideoq; profit.

*Contritio Pontificiorum.*

63. Merito etiam in eo reprehenduntur, quod contritionem sufficientem esse debere, doceant: cum David Psal. 19. v. 13. perspicue affirmet, nos peccati atrocitate non intelligere: & Moses Ps. 90. v. 11. inquit. *Qui considerat vim iræ tuæ, & quis, ut p. v. est,*



*est, timet indignationem tuam? Quid? quod molem iræ divinæ, utpote immensam adversus peccata nemo hominem sustinere queat: Ideò Christus eam in se recepit, Esa. 53. v. 4. 2. Cor. 5. v. 19. ne nos sub ea in desperationem rueremus.*

64. Tandem nullo modo tolerandum est, quod fingunt contritione nos mereri remissionem peccatorum; cum solus Christus eam nobis promeruerit, 1. Iob. 2. v. 2. Esa. 53. v. 2. & 3. Quocirca asserere contritionem meritoriam manifesta contumelia contra Christum est.

*Confessio.* 65. Confessionem porrò quod attinet, illam non planè rejicimus, sed ut adjunctum veræ contritioni admittimus, qua nimirum dolorem suum peccator explicat.

66. Confessio hæc fit vel apud læsum fratrem, à quo sibi cupit aliquis ignosci: vel apud Ecclesiæ ministerium, cujus consolatione indiget.

67. Confessio quæ fit apud Ecclesiæ ministerium potest dividi, vel ratione delictorum, vel ratione personæ.

68. Ratione delictorum est generalis vel specialis.

*Confessio generalis.* 69. Generalis est, qua quis generatim omnium peccatorum reum se fatetur.

*Specialis.* 70. Specialis, quâ certa quædam denominat.

71. Ratione personæ dividi potest in publicam & privatam.

*Publica.* 72. Publica, quâ in nostris Ecclesiis publicæ fiunt confessiones, præeunte verbis Ecclesiæ ministro.

*Privata.* 73. Privata est, quando accessuri ad sacram cœnam præmissâ peccatorum confessione & vitæ correctione promissâ per fidem privatam petunt absolutionem. Confessionem hanc auricularem vocant.

*Auricularis confessio.* 74. Quam in Ecclesiis retinendam esse censemus obsequentes rationes: 1. Ut rudiores examinentur & informentur. 2. Ut perturbatis conscientis consulatur. Absolutione enim hæc promissionum generalium fit applicatio ad individuum, ut absolutus certò statuere queat, primùm sibi remissa esse peccata: Deinde se in hoc sacro convivio dignum hospitem futurum esse. 3. Ut ij, quibus mutux intercedunt offensiones, vicissim



eissim reconcilientur. 4. Deniq; ut ministri tanquam dispensatores mysteriorum DEI in privata hac exploratione cognoscere & præcavere possint, ne sacrum canibus projiciatur *Matth.*

7. v. 6.

75. Verùm hanc confessionem asserentes, minimè probamus illam quatenus à Pontificiis fingitur & imperatur, 1. Quia Pontificij illam partem pœnitentiæ faciunt. 2. quia auriculari confessione peccatori omnia sua delicta, quæ per distinctum examen in memoriam revocare potuit, disertè in aurem sacerdoti enarranda sanxerunt.

*Confessionem pontificiorum rejicimus.*

76. Utrumq; nos negamus. Primum quidem, quandoquidem pœnitentia etiam per silentium potest esse integra: quamvis pœnitenti aliquando sit necessaria, si morem Ecclesiæ servare teneatur, aut alioqui subsidio ministri carere nequeat. Alterum: Quia est sine sacrarum literarum præcepto, sine earundem exemplis, & sine fidelium comodo *Psal. 19.*

*v. 13. Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me. Publicanus Luc. 18. v. 13. contentus fuit dicere, Domine propitius esto mihi peccatori. Ezech. 18. v. 21. Quotiescunq; ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor ait Dominus.*

77. Tandem per satisfactionem non intelligunt Pontificij satisfactionem Christi, qui unus ac solus pro omnibus omnium hominum peccatis satisfecit, *1 Tim. 2. v. 4. 1. Ioh. 2. v. 2. Heb. 9.* Sed intelligunt nescio qualia opera indebita, quæ lege divina mandata non sint, sed in confessionibus satisfactionis loco mandantur ac imponuntur, vel ad pœnas purgatorij redimendas, vel ad convertendas æternas pœnas in purgatorij temporales.

*Satisfactio.*

78. Quod figmentum, ut aliquo modo veritatis speciem præ se ferret, distinxerunt inter culpam & pœnam peccatorum: fingentes culpam propter Christum remitti: pœnam, verò partim clavium potestate tolli, partim satisfactione operis compensari.

79. Verùm satisfactio hæc blasphema est in meritum Christi, quippe qui semel in fine seculi ad ablationem peccati per oblationem apparuit *Heb. 9. v. 26; qui una oblatione perfecit*



cit in perpetuum eos, qui sanctificantur *Heb. 10. v. 14.* qui se-  
ipsum tradidit pretium redemptionis pro omnibus *1. Tim. 2.*  
*v. 6.* atq; ita factus est propitiatio pro peccatis totius mundi  
*1. Ioh. 2. v. 2.* Quid igitur alia opus satisfactione per rosaria,  
ieiunia, preclarum battologias, peregrinationes, humicu-  
bationes, cilicia, vota monastica, & similes hominum tradi-  
tiones, quibus DEUS frustra colitur *Math. 15. v. 8.*

80. Facile enim, ex dictis intelligitur, gratuitam à DEO  
esse peccatorum remissionem propter Christum *Esa. 45. v. 25.*  
*Act. 20. v. 43.* nec quoad culpam tantum, sed quoad pœnam  
quoq;: *Jerem. 31. v. 34.* *Iniquitatum vestrarum non recordabitur*  
*Dominus.* Item, *Delebit instar nubis, demergit in profundum maris pec-*  
*cata vestra* *Esa. 44. v. 17.* *Non imputabit* *Psal. 32. v. 2.* *Peccatorum*  
*non recordabor amplius* *Jerem. 31. v. 34.* *Non igitur postulat ad pœ-*  
*nam.*

Remissio  
culpe non  
est distin-  
cta à re-  
missione  
pœne eter-  
næ.

81. Quid multis? negamus remissionem culpæ distinctam  
esse à remissione pœnæ æternæ: *Iustificati enim fide pacem habe-*  
*mus* *Rom. 5. v. 1.* Item: *Iustus sua fide vivet* *Habac. 2. v. 4.* Cer-  
tum igitur est semper simul fieri fide propter Christum & per  
eum remissionem culpæ ac pœnæ æternæ.

82. Quod verò attinet remissionem pœnæ temporalis, il-  
la à remissione culpæ distincta est, ut Adam, David, accipiunt  
remissionem culpæ, & nihilominus subjiciuntur afflictioni-  
bus & ærumnis in hac vita. Quæ etiam si sint plerumq; certo-  
rum delictorum pœnæ, nequaquam tamen sunt compensatio-  
nes aut merita, ut insulse ac impie finxerunt Monachi.

83. In unica igitur & sola Christi Domini ad servatoris  
nostri satisfactione quiescentes, nobis in memoriam revoca-  
mus illud *Esa. 53. v. 5.* *Ipse vulneratus est propter iniquitates no-*  
*stras, attritus est propter scelera nostra, disci lana pacis nostræ super eum,*  
*& livore eius sanati sumus.* Item illud *Ose. 13. v. 14.* *De manu in-*  
*ferni redimam eos: de morte liberabo eos. Ero pestilentia tua o mors,*  
*ero lues tua o inferne.*

84. Quod si alicubi in historia sacra cernamus lacrymas,  
cinerem, cilicium, favillam, decubitum in terra, jejünium,  
pectoris punctioem & id genus alia, non hoc volunt, ut Deo  
satisfiat, sed ut sint signa cordis verè humiliati, contri-  
tionem



tionem testificantia : Quæ ipsa tamen necessaria non sunt.

85. Eodem etiam modo quando enormiter delinquentes vel excommunicantur, vel ad publicam pœnitentiam adiguntur, sit illud non in eum finem, ut pœnitentes DEO satisficiant, sed ut tollatur scandalum, quo Ecclesiam publicam offenderant & ut resipiscant.

86. Tandem errores hoc loco vitandi sunt: 1. Novatianorum & Catharorum, qui impiè finxerunt, deficientes à fide tempore persecutionis, vel in manifesta scelera prolapsos post baptismum non posse converti ad DEUM, & cum redeunt ad pœnitentiam, non posse consequi remissionem peccatorum: ideoq; petentes absolutionem absolvere noluerunt: Contra illud Jeremiæ 3. v. 1. *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego recipiam te.* Contra illud Christi Matth. 18. v. 2. *Remittes non septies sed septuagies septies.* Contra exemplum Petri, post abnegationem in gratiam & Apostolicam functionem recepti Ioh. 21. v. 15. & seqq. Item incestuosi apud Corinthios pœnitentis, recepti à Paulo 2. Cor. 2. v. 7.

Errores.

1.

87. Deinde Pontificiorum, qui varij sunt: Docent enim 1. Pœnitentiam opus liberi arbitrij esse & virium humanarum. 2. Pœnitentiam esse sacramentum, & actus hominis pœnitentis esse materiã hujus sacramenti. 3. Pœnitentiam ex opere operato, sive bono motu utentis, hoc est, sine fide in Christum, conferre gratiam. 4. Fidem non esse partem pœnitentiæ. 5. In agentibus pœnitentiam contritionem debere esse sufficientem. 6. Sufficientem contritionem mereri remissionem peccatorum. 7. Confessionem auricularem, hoc est, enumerationem accuratissimam omnium peccatorum, explicatis etiam singulorum circumstantijs in aurem propriij sacerdotis, jure divino mandatam & singulis sub pœna excommunicationis præstandam & ad remissionem obtinendam necessariam; neglectioem verò ejus mortalem esse. 8. Sufficientem delictorum enumerationem esse meritum remissionis peccatorum. 9. Satisfactiones canonicas necessarias esse ad redimendas

2.

C 3

das





Has pœnas æternas, aut pœnas purgatorij. 10. Per potestatem  
clavium pœnas æternas mutari in temporales. & per indul-  
gentias animas ex purgatorio liberari. 11. Semper dubitandum  
esse de remissione peccatorum, cum nemo certus esse possit,  
an contritio & confessio sit sufficiens, & an sufficienter satis-  
factum sit pro peccatis.

37. 87. Tertiò: Hypocritarum, qui resipiscentiam, quidem  
externam moliuntur, cum interim internos impietatis fasci-  
culos non dissolvant.

4. 88. Quartò: Epicuræorum, qui sibi fingentes pœnitentiæ  
ac fidei quandam opinionem, eam sine nova obedientia sive  
bonorum operum studio veram esse, somniant.

5. 89. Quintò: Anabaptistarum & Perfectistarum, qui se  
perfectum regenerationis gradum assecutos esse, glorian-  
tur.

6. 90. Sextò: Zvvinglianorum & Calvinianorum, qui, 1. fi-  
dem cum Pontificiis partem pœnitentiæ esse, negant. 2. pri-  
vatam absolutionem abolent: atq; ea ratione afflictis  
conscientiis præcipuam consolationem, quam in  
privata absolutione ac remissione peccato-  
rum repositum habent, eripiunt.

F I N I S.





99 A 6935

ULB Halle 3  
005 360 463



TA → OC









32



PARTITIONVM  
Theologicarum

DISPUTATIO XXXII,

De

POENITEN-  
TIA.

*In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Witte-  
bergenſi proposita,*

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI  
Professore publico:

*Respondente*

M. CHRISTOPHORO SENFIO  
Hannoverano.

*Horis locorq; consuetis.*

Sumtibus Clementis Bergeri  
Bibliopolæ Wittebergenſis.

ANNO 1611.

